
DE DIVO IVONE PAVPERVM PATRONO ORATIO

Habita in eiusdem Templo

AD EM. S. R. E. CARD.

A DOMINICO CIAMPOLO SEM. ROM. CLER.





Romæ, Typis Ignatij de Lazaris. 1673.
Superiorum Permissu.

EMINENTISS. PRINCIPI

IACOBO ROSPILIOSO

S. R. E. CARDINALI.


Dominicus Ciampolus Sem. Rom. Cler.
Fælicitatem.



Mbitioſæ parcendum Inopiæ Orationis meæ, ſi meas Vmbras exoſa ne lateat, tuos ſplendores affectat, vt luceat. Didicit ſuperbire Paupertas, quoties ſuones inuenit, aut eius mores. Hos in te nactus, ad te propero: Fiduciam meam damnare non debes; qui mores tuos damnare non potes; nec ægre Culpam dimittes illam, quam Tu ipſe noueris ſuaſiſſe. An non tù etiam priuata Tua bona, ita publica feciſti, vt domeſtici cenſus incrementa non aliunde dignoſcamus, quam ab ampliori exuberantià in publicam fælicitatem? Sed ſecus agere non debebas, ſi Te Clementis Noni Nepotem probare Volebas. Illum amamus tuis in moribus ſemper viuere, vt Tù eius in dignitate aliquando viuas. Præclaras ille leges in ſolium inuexit, amorem populorum; quo cum, maximam omnium pænarum minari


facile potuit, facilius potuit infligere, videlicet non amare. Nihil ille à subditis admittebat in vectigal, præter Calamitates, quas beneficentiâ fugabat; Præter Vitia, quæ Terrore plectebat; præter amorē, quem exigebat amando. Hisce moribus insistis Em.P. dū tibi nihil ex hâc quâ frueris potētiâ, decerpis, quam maiorem de omnibus benemerendi facultatem, quibusque non debes petita concedere, te ipsum concedis ipso beneficio pretiosiorem; & miramur si ad tuæ Domus incrementum, tāquam ad publicum bonum, Totus eat in plausus Orbis? Nouit nimirum ille, te merito sublimiorem quam dignitate; Maiestatem à temet augeri, teque beneficio maiorem Orbi, quam Imperio maiorem Tibi. Sed vereor iam, ne tibi infensus sim, cum de te loqui non possim, sine laude, hoc est sine vulnere modestiæ tuæ. Quamquam hoc ipsum magnæ laudis instar est, laudem omnem mereri, nullam velle; nullâ quasi precario indigère, nullam quasi parem inuenire.

ORA-



ORATIO.





Eroem vobis Siſto Em.PP.cuius opulentiam aliena Paupertas, & cuius gloriam aliena calamitas elaborauit. ampliſſimam gloriæ ſegetem ex infæcundo meſſuit agro miſeriarum; & potuit plus debere nihilo ægeſtatis alienæ, quam proprio cenſui diuitiarum. Neq; certe compendiariam hanc Orbis Maieſtatem, tuas ad aras prouolutam aſpiceres Iuo beneficentiſſime, niſi in leuandis miſerorum ærumnis, miſerior ipſe ſtetiſſes. Fælices, fateor, reddidiſti pauperes, ſed ipſi te reddidere fæliciorem. Incertum, Beatius ne in te fuerit erogare, quam accipere. Dum igitur plus ne Iuo pauperibus, quam Pauperes Iuoni debuerint, paucis inquiro; agite & Vos, vt Inopiæ orationis meæ illud incrementum gloriæ aquirat Iuo, quod redde-

re

re Tot Capitum Sapientia sciet, Tot Iudicum Integritas poterit, ac tot Patrum purpurata Pietas abunde Volet.

Quod primum Iuo Pauperibus largitus est, fuit quod minimum danti, plurimum constitit accipienti; verba nimirum ad pauperum integritatem propugnandam in foro. Quã facile erat pro illis verba dare, tam difficile erat inuenire qui darent. Passim obuios Patronos habebat scelus opulentum, nullos inueniebat Integritas misera; sed quã facile fuit Iuoni ad tutelam eorum accurrere, qui solo prouocabant ampliori censù calamitatum? Debebant omnium indigære: qui debebant omnibus præferri; plurimum poscere, qui maius obtinere. Illorum ne causas molestà dilatione fatigabat? Scilicet. Sciebat nimirum tantum gratiæ, beneficio demi, quantum adijcitur moræ; tantumque gratiæ nomen imminui, quantum inter manus dantis Versatur; Nullam ideo admittebat moram, nisi quam interponebat Accipientis Verecundia. Sero beneficium dedisse putabat, si roganti dedisset, oderatq; rubore præcum grauius onerare, quos leuabat inopià. Incertũ sẽper fecit; maiori ne celeritate, decidenda susceperit, ac suscepta deciderit. Nullius ille lacrymas vectigales voluit, quia se nullius lacrymis vectigalem præbuit. Hunc nemo seueriorem dixit dum punit, nemo molliorem dum parcit; Nemo huius leges damnauit Innocens, quia neminem huius leges damnarunt Innocentem. Beneficum se præbuit omnibus, etiam cum nocèret Improbis. Beneficij enim genus est, cogere vt Mali parcius insolescant; sic itaq; efficiebat vt cum nullibi tuta forent priuata scelera, tu-

tutior esset vbiq; fælicitas publica. In exilium Reos abigebat, vt lētum secum suppliciū, hoc est conscientiam sceleris deferrent, quamquam omnis instar supplicij esset, à tanto Patrono abesse; adeoque tam pretiosæ Captiuitatis, impar illis pretium videretur ipsa libertas. Acerbitatem sententiæ lacrymis suis prius diluebat, vt amaritudo mortis illo Vitali Cordis succo leniretur. Quoties ah quoties, ipsis in Carceribus, visus est Curas quas omnes exuerant, induere ipse; Vnus omnibus sufficere seruiendo, dum omnes vni non Sufficiebant rogando: Archiatrus ipse, Ipse Dapifer, Excubitor ipse, vbique ipse. Calamitates aspectù fugabat, sed pene iratus sibi, quod penuriam miseriarum faceret abundantia Charitatis, & segetem sibi meritorum imminueret, imminutione Calamitatum.

Verum si magna hæc Pauperibus clargitus est Iuo, maiora certe Pauperes Iuoni reposuere. Fama per id Tempus vni desudabat Iuoni; sed nihil referebat in pretium, preter odium sui. Affluebant Iuoni dignitates, sed nihil in ijs amabat quam quod prodesse magis & posset & vellet. Publice dicebatur Calamitatū interitus, acerbæ fortunæ funus, publicæ Salutis ara; Vnus ille ferebatur ab Inuidià liberasse fortunam, quia summis ærumnis summum Vindicem conciliabat. Sed quod Pauperes Iuoni reddere nequibant, Deum ipsum vidimus, tamquam pauperum Vadem, illi cumulatissime soluere. Prius enim se illi voluit præbere conuiuam, quasi cælestes non saperent dapes, nisi ab Iuonis Charitate condìtæ: Inde quasi in pretium epularum, diuisum Imperium cum Iuone Deus voluit. Quis enim ex tunc in elementa Ius

exer-

exercuit imperiosius, dum voraces flammæ se illi in radiorum Coronam Lunarunt?& minaces fluuiorum vndæ,ad huius aspectum dedidicere tumorem!Quis remedia magis habuit ad manus.Dū ad eius dexteræ attactum secedebant morbi; satis gloriosi quod Iuonis manibus, oscula libassent. Sed nec minimum est Iuo præclarissime,illud incrementum honoris, quod tibi nunc ab hàc Regum Coronà luculentissime redditur. Tuas ad aras toto pondere Maiestatis deuoluitur, quia tuos ad mores tota sublimitate animorum enititur. Tuis debetur exemplis, quod horum Iustitiam nemo contempserit impune, quia neminem horum Iustitia oppressit inique; quod ex illis esse oderint,qui beneficia differunt, ne minor sit rogantium Turba; aut precibus vendunt, ne sine rubore Accipientes meminerint; aut Verbo grandiore iactant, vt impetrasse pæniteat; quin imo properatis beneficiis, ipsas beneficiorum occasiones præripiunt indigenti: A Te didicerunt infrà Maiestatem non esse, in Pauperum obsequijs decrescere;aures obstruere nulli, vocem omnibus exhibère; prodesse malis ne desint bonis, potius quam deesse bonis, ne prosint malis. Te suis in moribus volunt rediuiuum,dum non alia à Clientibus eripiunt Spolia,præter calamitates, non aliud contra crimina, supplicium exhibent validius, quam mores suos. Viue igitur in horum animis Prestantissime Iuo. Viuite & Vos,in eius moribus Integrimi PP; vt de vobis etiam;Plus ne Pauperibus Vos, quam Pauperes Vobis debuerint, inquirendum relinquatis, ad priuatæ publicæq; fælicitatis Coronamentum.

